

Schlesisch. H.  
De scriptu-  
liberem am  
speciebus.









9523

17

No: 502.

10.

SPECIMEN JURIDICUM  
DE  
**SERVITUTIBUS**  
EARUMQUE SPECIEBUS,  
AD  
DUCTUM INSTITUTIONUM  
JUSTINEANEARUM,  
METHODO SYSTEMATICA CONSCRIPTUM

J. J. Schiersthmidt

Ke 2759

1731.



LIBER DE MUSICA  
DE  
SERVITIIS  
TUMULIS  
DUCUM INSTITUTIONIBUS  
TESTIMONIARUM

MUSICO TESTIMONIO CONCURRENTE

ET TESTIMONIO TESTIMONIO



*SPECIMEN JURIDICUM*  
DE  
**SERVITUTIBUS**  
EARUMQUE SPECIEBUS.

CAPUT. I.

*De Servitutibus in genere.*

§. I.



X generali notione juris realis concipi-  
mus jus in rem externam alienam ;  
Id, quod si determinatur , quod sit  
in utilitatem nostram constitutum,  
vocamus servitutem rerum , quæ  
adeo est *jus in rem alienam in uti-*  
*litatem nobis constitutum.*

§. II.

Servitus rerum est jus in rem alteri propriam in  
utilitatem nostram constitutum §. I);modus itaque, quo  
res alteri propria nobis utilitatem præstat, determina-  
tus non est in definitione ; Hinc cum, tam in facto

A

com-

commissivo , quam omissivo dominus nobis utilitatem præstare possit; apparet , quod Servitutes , tam in facto commissivo , quam omissivo consistere possint. Germani nullum determinarunt modum ; proinde jure Germanico servitutes rerum tam in facto commissivo , quam omissivo consistere possunt. Ast *jure Romano* modus determinatus est , quod scilicet *dominus rei in utilitatem nostram aliquid pati vel omittere teneatur* , L. 15. §. 1. ff. de Servit. §. 1. Inst. eod.

## §. III.

Servitus est jus in rem alienam in nostram utilitatem constitutum §. 1.). Utilitas adeo in definitione generali servitutis determinata non est ; ponamus utilitatem personæ nostræ individuali , ponamus rei nostræ , seu rerum possessori constitui ; Tummodo speciem servitutum deprehendimus illam personalem , hanc realem vocare licet ; Personalis igitur servitus est *jus in rem alienam in utilitatem personæ nostræ individualis constitutum : realis vero est jus in rem alienam, in utilitatem rei tertio propriæ, seu rei possessoris constitutum.* L. 1. ff. de Servit.

## §. IV.

Jura in partes segreges dividi nequeunt §. \*) ; apparet itaque , quod servitutes in genere in partes segreges dividi non possint , & ex consequenti *sint individuae* (§. 1.) L. 2. §. 2. ff. d.v.o.

## §. V.

Servitus rerum consistit in patiënto vel intermitendo jure Romano §. 2.) Patientia vel intermission actus sunt facta omissiva §. \*\*) ; apparet proinde , quod omnes servitutes consistant in facto omissivo , seu in non faciendo L. 15. ff. de servit.

## §. VI

## §. VI.

Omnis servitutes jure Romano in patientia & intermissione actus consistunt §. 2.). Servitutem, quæ in patientia consistit affirmativam & quæ in intermissione, negativam vocarunt JCti; omnes itaque servitutes aut affirmativæ aut negativæ sunt, secundum hypothesin] Romanam. Titii Jus. priv. de Servit. real. §. 3.

## §. VII.

Servitus est jus in rem alienam §. 1.) ; sed res propria opponitur rei alienæ §. \*\*), adeoque eadem res, propria & aliena simul in eodem subjecto esse nequit : Jus in rem propriam vocatur dominium §.\*), adeoque domino servitus non est in re propria L. 5. pr. ff. si ususfr. paet.

## §. VIII.

Res , in quam nobis constituitur servitus , est res alteri propria & ex qua utilitatem percipimus §. 1.) res alteri propria involvit dominium §. \*\*): Hinc res, in quam constituitur servitus , & ex qua utilitatem percipimus , est alterius dominio subjecta. Ponamus itaque istam rem servientem ipsa utilitatis perceptione consumi , tummodo alterius dominio subjecta non maneret dominiumque per tertium interiret, tertius proinde re pro arbitrio eodem modo in sui commodum uti posset; ac dominus , quod contradicitorum §. \*\*). Res proinde in quam servitus constituitur , est res , in qua dominus utilitate percepta dominium retinet.

## §. IX.

Res alteri propria & ex qua utilitatem percipere possumus est res, in quam constitui potest servitus §. 1.).

A 2

Res

Res alteri propria involuit dominium §.\*\*) Res igitur, quæ alterius dominio subjecta est & ex qua utilitatem percipere possumus, est res, in quam servitus constitui potest. Si itaque ponamus rem, istam perceptione utilitatis interire; Tummodo alterius dominio subjecta non maneret, dominiumque interiret, Tertius proinde, cui servitus est constituta, re pro arbitrio uti posset in sui commodum, adeoque tertius eodem modo ac dominus dominium haberet, quod contradictorium §.\*). *Res itaque, in qua dominus post utilitatem perceptam dominium retinere potest, est res, in quam servitus constitui potest.*

## §. X.

Res, in qua dominus post perceptam utilitatem dominium retinet, est res, in quam constitui potest servitus §. 9.). Nunc autem quedam res non fungibilis; est res, in qua dominus post perceptam utilitatem dominium retinet §. \*\*). Adeoque *res quædam non fungibilis est res in quam constitui potest servitus*; arg. §. 2. Inst. de usufr. Et cum quædam res mobiles & immobiles omnes sint res non fungibles, apparet, quod in quasdam *res mobiles & res immobiles servitus constitui possit*, modo cætera ad sint requisita.

## §. XI.

Res, in qua dominus post utilitatem perceptam dominium non retinet, non est res, in quam constitui potest servitus §. 9.). Verum res fungibilis est res in qua dominus post utilitatem perceptam dominium non retinet, quippe quæ ipso usu consumitur §. \*\*). Adeoque *res fungibilis non est res, in quam constitui potest servitus*. arg. §. 2. Inst. de usufr.

## §. XII.

## §. XII.

Res , in qua dominus post perceptam utilitatem dominium retinet , est res , qua salva substantia uti possumus ; quod hic assumo ; Verum res , in quam servitus alicui constituitur , est res , in qua dominus post perceptam utilitatem dominium retinet §. 8). Adeoque *res , in quam alicui servitus constituitur , est res , qua salva substantia uti possumus.*

## §. XIII.

Res , qua salva substantia uti possumus , causam utilitatis perpetuam habet ; Ast res , in quam servitus constituitur , est res , qua salva substantia uti possumus §. 12.) Res , igitur *in quam servitus constituitur , est res , quæ causam utilitatis perpetuam habet*, seu, ut L. 28. de servit. præd. Urban. loquitur , servitutes requirunt causam utilitatis perpetuam.

## §. XIV.

Translatio utilitatis rei alienæ supponit , actibus inter vivos , consensum domini acceptatum ab altero §.\*\*) . Nunc autem servitus supponit translationem utilitatis rei alienæ §. 1.). Servitus proinde constituitur , actibus inter vivos , consensu domini acceptato ab altero .

## §. XV.

Dominus consensu suo servitutem alteri in rem suam constituit , §. 14.) Pupillus , minor , furiosus & qui eidem aequiparatur , prodigus , si domini sunt , tamen consentire nequeunt , sed tutor aut Curator rerum consensum in negotiis supplet §.\*\*) , adeoque *pupillus , minor , furiosus , prodigus , non nisi consentiente tute vel curatore , servitutem constituere possunt.*

## §. XVI.

Dominus consensu suo acceptato ab altero servitutem constituit §. 14.) ; Cum autem consensus vel expressus vel tacitus sit, illeque, si ab altero acceptatur pacta expressa vel contractus, hic autem tacita, involvat & idcirco præscriptionem supponat §.\*): appareat, quod dominus vel expressis pactis seu contractibus vel tacitis, i. e. per præscriptionem ab altero factam, servitutem in rem suam alteri constituere possit.

## §. XVII.

Jure hæreditario universali, jura, quæ ad defunctum pertinuerant, eodem modo heredi constituuntur, nisi tantum ad dies vitæ defuncti perdurant §.\*\*) . Hinc quoque servitutes jure hæreditario universali hæredi constituuntur, nisi ad personam defuncti, seu ad dies vitæ illius sunt restringitæ.

## §. XVIII.

Testator potest rem suam singularem quandam testamento sive tanquam legatum sive fideicommissum in alium tertium per hæredem transferre §.\*\*) Cum autem utilitas rei suæ singularis tanquam res singularis considerari possit ; appareat, quod testator testamento suo sive per legatum sive fidei commissum possit in tertium utilitatem quandam rei suæ transferre ; Adeoque tertio constituitur hoc pacto jus in rem defuncti in utilitatem suam ; Cum autem res defuncti propriæ, fiant hæredi propriæ post aditam hæreditatem, §.\*.), appareat, quod tertio modo constituantur jus in rem hæredi, propriam, adeoque alienam in utilitatem suam, illud jus servitus vocatur §. 1.) ; Constat proinde, quod per legatum & fideicommissum servitus constitui possit.

## §. XIX.

## §. XIX.

Per legatum & fideicommissum servitus constitui tertio potest §. 18.) Ait legatum & fideicommissum sunt actus quidam mortis causa §. \*) Adeoque apparet, quod & actibus quibusdam mortis causa servitus constitui possit.

## §. XX.

Pacto, præscriptione à tertio facta, jure hæreditario universalí, legato & fideicommisso potest tertio à domino servitus constitui §. 16. 17. 18.) Cum autem jus pacto constitutū traditione & jus præscriptione competens, diurna possessione, jus autem jure hæreditario universalí constitutū hæreditatis aditione eodem modo ac jus per legatum aut fideicommissum competens, acquiritur §. \*\*\*) apparet, quod servitus pacto constitutum, traditione, præscriptione competens possessione lege determinata, & servitus jure hæreditario universalí legato & fideicommisso constitutum hæreditatis aditione acquiratur.

## §. XXI.

Servitus involvit jus quoddam in utilitatem rei alienæ nobis constitutum §. 1.) adeoque servitus referatur ad res incorporales §. \*\*) Cum autem res in corporales quasi traditione conjuncta cum pacto vel expresso vel tacito inter vivos acquirantur §. \*) Apparet, quod servitutes inter vivos quasi traditione conjuncta cum pacto vel expresso vel tacito acquirantur.

## §. XXII.

Jura rerum immobilia præscriptione acquirantur à bonæ fidei possessore, qui eadem à bonæ fidei possessore accepit longo tempore §. \*). Ait servitus in res immobiles referuntur ad jura rerum immobilia §. 10.) Hinc adeo apparet, quod servitutes in res immobiles bona fide

*fide posseſſe, à bonæ fidei posſeffore conſtitutæ, præſcriptione longi temporis acquirantur.*

§. XXIII.

Jura rerum immobilium præſcriptione longissimi temporis acquiruntur à bona fidei posſeffore, cui illa à malæ fidei posſeffore ſunt conſtituta §.\*). Servitutes rei immobilis itaque, quæ ad jura rerum immobilium referuntur, præſcriptione longissimi temporis acquiruntur à bonæ fidei posſeffore, cui illæ à malæ fidei posſeffore ſunt conſtitutæ, L. 5. C. de præscript. long. temp. & L. 8. C. de præscript. 30. vel 40. ann.

§. XXIV.

Jura rerum mobilium præſcriptione decennii acquiruntur à bonæ fidei posſeffore §.\*). Hinc servitutes iſtae, quæ ſunt in res mobiles §. 10.) præſcriptione decennii acquiruntur à bonæ fidei posſeffore.

XXV.

Dominus pacto cum tertio inito, servitutem alteri in rem ipſi propriam conſtituere potest §. 16.). Cum autem servitus ſupponat confeſſionem utilitatis cuiusdam alteri factam §. 1.) Dominus autem utilis uſum rei habeat §.\*). Apparet, quod & dominus utilis poſſit in rem, in quam habet dominium uile, alteri pacto cum tertio inito servitutem conſtituere; Hinc adeo apparet, quod emphyteuta & ſuperficiarius pro ratione emphyteuſis & ſuperficiei servitutem in emphyteuſin & ſuperficiem conſtituere poſſit §. \*

§. XXVI.

Dominus utilis potest pacto alteri servitutem conſtituere §. 25.). Cum autem servitus confeſſionem utilitatis cuiusdam involvat §. 1.) uſus verò ad dominum directum non pertineat §.\*), apparet, quod ex

ex concessione utilitatis cuiusdam alteri in rem facta nihil inferatur , quo dominus directus violari possit , adeoque nec consensus domini in hanc concessionem & ex consequenti servitutis constitutionem à domino utili factam est necessarius §. \* ).

## §. XXVII.

Mortuis hæredibus domini utilis , consensus domini directi in translationem dominii utilis cessat , inde & consolidatio oritur §. \* ), postea adeo cessat consensus domini directi in translationem juris re ipsi propria utendi §. \* ), & ex consequenti consensus in translationem usus rei domino directo propriae . Hinc si dominus utilis absque consensu domini directi , quod utique fieri potest §. 25. 26.), utilitatem tertio concederit , simul consensus in concessionem utilitatis rei ipsi propriae à domino utili factam cessat . Cum autem absque consensu nostro usus rei nostræ in alterum transferri nequeat §. \* ), apparet , quod & posita nostra hypothesi cesse concessio utilitatis tertio facta ; Verum ista concessio servitutem involvit §. 25.). Apparet igitur , quod servitus , à domino utili tertio absque consensu domini directi constituta tollatur mortuis hæredibus domini utilis . Dominus adeo utilis servitutem tertio non diutius constituit absque consensu domini directi , quam dominium utile in suis hæredibus durat , L. ult. C. de rebus alienis non alien.

## §. XXVIII.

Dominus interimisticus , seu b. f. possessor tamdiu usum rei percipere , percipiendoque dominus fructuum fieri potest , quamdiu verus dominus non inclarescit §. \* ). Hinc & tamdiu usum rei in alterum pacto cum tertio inito transferre potest , quamdiu dominus verus

B

non

non inclarescit §. 14.): Cum autem servitus involvat spe-  
ciem usus vel utilitatis §. 1.); satis constat, quod do-  
minus interimisticus & bona fidei possessor tamdiu ser-  
vitutem pacto constituere possit tertio in rem, quam  
possidet, quandiu dominus verus non inclarescit:  
Eadem demonstratio est de dominio revocabili. Hic  
adeo servitus, tertio à domino isto constituta, durat tam-  
diu, quandiu durat ipsum dominium, L. ult. C. de reb.  
alien. non alien.

## §. XXIX.

Dominus directus usum rei ipsi propriæ non ha-  
bet, sed dominus utilis §.\*), adeoque nec usum rei ti-  
tulohabili in alterū transferre valet, id, quod autem do-  
minus utilis suo consensu potest §. 25.). Hinc cum ser-  
vitus involvat translationem usus cuiusdam §. 1.), ap-  
paret, quod dominus directus, non nisi cum consensu  
domini utilis possit servitutem tertio in rem ipsi pro-  
priam titulo habili constituere.

## §. XXX.

Filius familias in res peculii castrensis & quasi,  
quid, quod & in res peculii adventitii irregularis habet  
dominium plenum §.\*), sed dominus plenus pacto servi-  
tutem in rem ipsi propriam tertio constituere potest  
§. 16.), adeoque filius fam. in res peculii adventitii  
irregularis, castrensis & quasi servitutem pacto suo  
tertio constituere potest, & si, filius pupillus vel minor  
est, consensum suum explet tutor vel curator §. 24.),  
modo in re cetera adsunt requisita §. 12.).

## §. XXXI.

Filius familias in res peculii adventitii regularis  
habet proprietatem, usum verò paterfam. §.\*). Cum  
autem dominus directus tantum cum consensu ejus,  
qui

qui usum rei ipsi propriæ habet, servitutem tertio in rem ipsi propriam titulo habili constituere possit §. 25.).  
apparet, quod *filius fam. in res peculii adventitii regularis tantum cum consensu patris. possit titulo habili servitutem tertio constituere*, modo ceteris requisitis res non destituatur §. 12.).

## §. XXXII.

Fieri quoque potest, ut in Republ. ad dirimendas discordias litesque, aut ad usum rei suæ alteri constituendum, judex servitutem constituat. Hinc adeo alium modum servitutem constituendi accipimus, qui à judece fit.

## §. XXXIII.

Constituta servitute & acquisita, dominus jus quod-dam in rem ipsi propriam in utilitatem alterius transfert §. 16. 17. seq.), illud jus connexum alias est cum dominio §.\*); adeoque constituta alteri servitute & acquisita à tertio, connexum jus cum dominio in alterum transfertur, & ex consequenti totum aliquod jus in duabus personis dividitur ope intellectus; sed si jus in duabus personis dividitur, tummodo persona permanent in nexu, & neutra actum in alterius præjudicium tendentem suscipere potest, absque consensu vel saltem scientia alterius §.\*). Hinc constituta & acquisita servitute, dominus cum illo, cui servitus constituta est, in nexu permanet, & neque dominus rei neque is cui servitus constituta, aliquem actum in præjudicium domini rei tendentem, absque consensu vel saltem hujus scientia suscipere potest.

## §. XXXIV.

Si jus in aliquam rem in duabus personis divisum est, illa debet onera ordinaria rei ferre, quæ maxi-

mam ex re percipit utilitatem §. \*): Nunc autem in servitute jus in rem aliquam in duabus personis divi- sum §. 33.). Adeoque in *servitute illa persona onera ordinaria, quæ res requirit, ferre tenetur, quæ maximum ex re percipit utilitatem.* Hoc utique est principium generale, ex quo omnes difficultates decidi pos- sunt, modo præscindamus ab hypothesi Romana, ac si omnis servitus in non faciendo consistat. Cum au- tem Germanis præscindere liceat ab illa hypothesi Ro- mana §. 2.); Simul constat, quod illud principium ad omnes servitudes, quas Germani sibi formarunt occasione juris Romani, possit applicari.

## §. XXXV.

*Jura interitu rei, in quas nobis competant, tol- luntur §. \*); servitudes sunt jura in rem alienam no- bis constituta §. 1.); servitudes proinde interitu rei, in quam nobis competunt, tolluntur, L. 8. §. 1. ff. de servit.*

## §. XXXVI.

Possimus servitutem vel pacto, vel præscriptione, vel jure hæreditario universali, vel per legatum & fidei- commissum, cum modis his titulis respondentibus, acquirere §. 20.). Ponamus hanc acquisitam servitutem esse in re nobis propria, tummodo notum, quod servitus in re propria non sit §. 7.), tali igitur modo servitus tollitur. *Servitudes proinde tolluntur, si do- minus, in cuius rem servitus constituta est, illud jus in rem ipsi propriam in utilitatem tertii constitutum sive pacto, sive præscriptione, sive jure hæreditario uni- versali, sive per legatum aut fidicommisum sibi cum modis his titulis respondentibus acquirat.*

## §. XXXVII.

## S. XXXVII.

Acquirimus rem propriam vel pacto , vel præscriptione, vel jure universalis hereditario, vel per legatum aut fideicommissum cum modis his titulis convenientibus §.\*.) Ponamus nos in rem istam nobis proprie acquisitam adhuc servitutem habere , tummodo si servitus continuari deberet, servitus esset in re propria §.1.): sed servitus in re propria non est §. 7.), ideoque tum demum tollitur servitus , si nos rem istam, in quam habemus servitutem , nobis propriam acquirimus , sive pacto , sive præscriptione , sive jure hereditario, universalis , sive per legatum aut fideicommissum , cum modis his titulis convenientibus .

## S. XXXVIII.

Si dominus rei titulo quodam ad jura realia acquirenda habili servitutem, quæ tertio in rem suam competit, acquirit, servitus eodem modo tollitur , ac si is, qui servitutem habet in rem quandam, illam rem sibi propriam acquirit §. 36. & 37.). Cum autem in primo casu jus in rem suam tertio competens, hoc modo per tertium in ea persona combinetur , quæ dominium jamjam habet §. 36.); In altero , dominium tertio competens in ea persona combinetur, quæ jus in rem tertio propriam habet §. 37.); apparet, quod in duobus casibus deprehendamus actum , quo jus in duabus personis divisum , §. 33.) in una combinatur , adeoque in duobus casibus deprehendimus consolidationem §.\*).

Cum autem in duobus casibus servitus tollatur §.36.37), apparet, quod consolidatione servitus tollatur.

## CAPUT. II.

*De Servitutibus in realibus.*

§. XXXIX.

**T**RANSEAMUS nunc ad servitutem realem, quam in superioribus definivimus, quod sit jus in rem alienam in utilitatem rei tertio propriæ, seu ejus possessoris constitutum §. 3.) & quidem accedente hypothesi romana, vi cuius dominus rei aliquid pati vel omittere tenetur §. 2.) §. 4.) J. de servit.

§. XL.

Omnis leges, quas JCti Romani in jure Civili de servitutibus, ut recentiores nostri ajunt JCti, realibus proponunt; tantum ad res immobiles ab utraque parte respiciunt; & idcirco quoque istas servitudes praediales vel prædiorum vocant, cum scilicet præmium nihil aliud esse voluerunt, quam rem immobilem alicui propriam Conf. Tit. 1. 2. 3. 4. ff. lib. 8. T. 3. & in specie §. 3. Inst. L. 11. &c. Exinde itaque nobis probabiliter concludere licebit, quod nullæ servitudes reales apud Romanos, neque ab una, neque ab utraque parte fuissent in re mobili, sed omnes in re immobili. Hinc & hic præscindamus a quaestione, an in servitate reali una res sive dominans sit, sive serviens, aut ab utraque parte mobilis esse possit? Cum nobis istiusmodi quaestionis resolutio nihil faciat ad leges in sistema redigendas.

§. XLI.

In servitate reali utraque res, tam ista, quæ utilitatem præstat, quam altera, cui ista præstatur, sunt res alicui propriæ §. 3. & 39), & secundum consuetudinem romanam immobiles §. 40): In servitate itaque reali tam illa res, cuius possessori utilitas præstatur est præmium, quam ista, quæ utilitatem præstat §. \*).

§. XLII.

## §. XLII.

In servitute reali duæ res requiruntur, una alteri utilitatem præstat §. 39.) sed hæ res secundum jus civile sunt prædia §. 41); *Duo itaque in servitute reali prædia requiruntur* §. 3. I. de servit. L. 1. §. 1. ff. Com. præd.

## §. XLIII.

In servitute reali duo prædia requiruntur, quorum unum alteri utilitatem præstat §. 42); Ast JCTi ex hac commoda unius prædii præstatione utilitatis, alteri prædio facta, vicinitatem eruerunt, Vid. L. 1. §. ult. & L. ult. ff. de servit. præd. rust. Ex hac itaque hypothesi apparet, *quod in servitute reali duo prædia vicina requiruntur* L. 5. de servit. rust. præd.

## §. XLIV.

In servitute deprehendimus duo prædia vicina, unum prædiū alteri utilitatem præstat, alteri prædio utilitas præstatur §. 43.) illud serviens, hoc dominans, vocarunt JCTi. Vid. Struv. Exerc. XIII. §. 3. &c. *In omni itaque servitute reali deprehendimus duo prædia vicina, quorum unum dominans, alterum serviens est.*

## §. XLV.

Servitus realis supponit duo prædia §. 42.) quum autem prædia aut rustica sint aut urbana §. \*) apparet *quod servitus realis supponat duo prædia, quæ aut rustica aut urbana sunt.* Conf. Struv. Exerc. XIII. §. 5. & L. 1. ff. Com. præd. §. 1. Inst. de servit. R.

## §. XLVI.

Servitus realis supponit duo prædia, quorum unum serviens est, alterum dominans §. 44.) quæ prædia simul aut rustica aut urbana sunt §. 45.) si itaque in servitute reali prædiū dominans urbanum fuerit, servitutem, urbanam: si rusticum, rusticam appellarunt Romani

abs-

*absque respectu ad prædia servientia.* Vid. Struv.  
Jurispr. l. II. T. III. & Lauterb. Comp. l. 8. T. I.

## §. XLVII.

In servitute reali unum prædium serviens, alterum dominans, concipimus §. 44.) prædia vero, quum aut rustica aut urbana sint §. 45.), facile apparet, quod per combinationem quatuor casus occurrant; *aut* enim prædium dominans est prædium urbanum & prædium serviens rusticum; *aut* prædium dominans est rusticum & prædium serviens urbanum; *aut* prædium dominans est urbanum & prædium serviens etiam urbanum; *aut* prædium dominans est rusticum & serviens etiam rusticum. Quum autem in denominatione servitutum realium ad prædium dominans, non autem ad prædium serviens respiciatur, §. 46.) apparet, quod tantum duas species servitutis realis ex hac distinctione orientur scil. servitus realis aut urbana aut rustica est; etsi quatuor esse possint species.

## §. XLVIII.

Servitutes in genere secundum jus civile in non faciendo consistunt §. 5.). Ergo quoque servitutes reales in non faciendo consistunt §. 3.). Hinc *dominus prædiis servientis secundum hypothesin romanam non tenetur ad resciendum id, quo prædium suum alteri dominanti utilitatem præstat.* l. 15. §. 1. ff. de servit.

## §. XLIX.

In servitute, secundum Jus Naturæ illa persona onera ordinaria ferre debet, quæ res serviens requirit, quæ maximam ex re utilitatem habet §. 34.), hinc praescindendo ab hypothesi romana in servitute reali ille, qui maximam ex re servantii utilitatem capit, onera ordinaria vel sumitus ordinarios ferre debet §. 3.). id, quod & jure germanico obtineri potest §. 3.).

## §. L.

## §. L.

Servitutes, secundum hypthesin romanam, in facto omissivo consistunt, & exinde sunt vel affirmativa, quæ in patiendo & negativæ, quæ in intermissione consistunt §. 6.) Hinc adeo apparet, quod servitutes reales aut affirmativa aut negativa sint §. 3.)

## §. LI.

Servitutes reales sunt vel affirmativa vel negativa §. 50.) : Servitutes urbanæ & rustica sunt servitutes reales §. 46.) : servitutes, proinde urbanæ aut affirmativa aut negativa eodem modo sunt, ac servitutes rusticæ, Schneidewin. ad Inst. l. 11. T. 3. §. 2.

## II. §. LII.

Omnis servitutes sunt individuae §. 4.) : Quamobrem servitutes reales individuas esse nemo inficias ibit §. 3.) id, quod simul ad rusticæ & urbanas venit applicandum §. 46.).

## §. LIII.

Servitutes in genere non sunt in re propria §. 7.) servitutes proinde reales sive sunt urbanæ sive rusticæ, non sunt in re propria §. 3. & 46.).

## §. LIV.

Servitutes in genere pacto, præscriptione, quæ pacto tacito aquipolet, jure hereditario universalis, legato & fidei commissio à domino in rem suam constituuntur tertio §. 20.), servitutes proinde reales adeoque & rusticæ & urbanæ pacto, præscriptione, jure hereditario universalis, legato & fideicommissio à domino in rem suam constituuntur tertio §. 3. 46.).

## §. LV.

Idem quoque dicendum de filiis familias, qui adeo absque consensu patris constituere possunt servitutes

C

tutes

*tutes reales in peculio irregulari, adventitio, castrense  
& quasi L.18. §. 3. de pecul. castr.*

§. LVI.

Dominus utilis etiam absque consensu domini directi servitutem constituere potest, quæ tamdiu durat, quamdiu hæredes ab intestato domini utilis durant (§. 27.). Apparet igitur, quod & omnes servitutes reales, adeoque rusticæ & urbanæ, dominus utilis absque consensu, domini directi constituere possit, quæ tamdiu durant, quamdiu hæredes ab intestato domino utili supersunt (§. 3.46.), L.2. T.8. feud. L.ult. C. de reb. alien. non alien.

§. LVII.

E contra, cum dominus directus non nisi consensu domini utilis, & filiusf. intuitu peculii adventitii regularis cum consensu patrisf. possit servitutem constituere (§. 31.), simul & in apprōco est, servitutes reales omnes & itaque rusticæ & urbanæ, dominum directum cum consensu domini utilis, & filiumf. cum consensu patris in peculio adventitio regulari constituere posse (§. 3.46.) vid. Titii obser. ff. 246. & Huber. in Eunom. ad l. 15. §. f. de Usufr.

§. LVIII.

Concipimus modum servitutem constituendi, qui à judice, vel ad dirimendas in republica controversias, vel ad usum, rei suæ alteri constituendum, fieri solet, si alter re, aut omnino uti non possit, aut iste usus rei alienæ aptiorem alteriusum præbeat (§. 32.). Hinc quoque servitutes reales, rusticæ itaque & urbanæ, eodem modo constitui possunt officio judicis, vel ad controversias dirimendas. Vid. l. 22. §. 3. ff. fam. hercisc. vel ad usum ex prædio nostro alterius prædio

con-

constituendum , sive alias prædio suo alter omnino uti non possit , sive meliori commodo uti possit , §. 3. & 46.) l. 20. pr. ff de serv. vind. l. 44. §. fin. de legat.

## §. LIX.

Servitus realis est jus in rem alienam in utilitatem rei tertio propriæ , seu hujus possessoris constitutum §. 3.): res alicui propria involvit dominium §. \*): servitus itaque realis domino in utilitatem rei suæ & quidem immobilis constituitur , secundum hypothesin §. 40.) datam ; Ast ista res vocatur prædium dominans §. 44.); servitus igitur realis domino prædii dominantis constituitur . Verum cum servitus realis à domino prædii servientis titulis §. 54.), allatis habilibus tertio constituatur ; Hinc simul constat , quod ille tertius sit dominus prædii dominantis . *Servitus itaque realis , a domino prædii servientis titulis scit ) allatis domino prædii dominantis constituitur.*

## §. LX.

Servitutes in genere à domino pacto , præscriptione tertio à domino permissa , legato & fideicommisso de novo alicui constituta ab eodem priori modo quasi traditione , altero lege determinata possessione , posteriori post aditam hereditatem acquiruntur §. 20.). Hinc servitutes reales à domino prædii servientis pacto , præscriptione tertio à domino permissa , legato & fideicommisso alieui , domino nimirum prædii dominantis §. præc), constitutæ , ab eodē , priori modo quasi traditione , altero lege determinata possessione , posteriori post aditam ab haerede haereditateni , acquiruntur , L. 5. ff. com. præd. Tit. tot. de Serv. leg. l. 19. §. 1. quemad. serv. omitt. l. ult. inf. C. de præl. long. temp.

## C 2

## §. LXI.

## §. LXI.

*Filius familias intuitu prædii castrensis & quasi castrensis, & adventitiæ irregularis acquirit servitutem realem titulis & modis §. præc. datis §. 60. 30.) l. 18. §. 3. de castrensi pecul.*

## §. LXII.

Servitutes reales, à domino prædii servientis titulo habili domino prædii dominantis constitutæ, per modos his titulis respondentes, à domino prædii dominantis acquiruntur §. 60.). Servitutes proinde reales, à domino prædii servientis titulo habili domino utili prædii dominantis constitutæ, ab eodem domino utili, per modos his titulis respondentes, acquiruntur §. 25.). Quid, quod, cum hæc acquisitio servitutis realis nullum actum involvat in præjudicium domini directi tendentem. Post consolidationem enim si dominus directus uti servitute noluerit, cedere iterum potest domino prædii servientis: Quamobrem satis constat, quod servitutes, à domino prædii servientis titulo habili domino utili prædii dominantis constitutæ, ab eodem domino utili per modos his titulis convenientes, etiam citra consensum domini directi acquirantur §. 26.) L. 1. §. 9. ff. de superf. lib. 2. feud. Tit. 8. §. 2. & Tit. 28. §. si vasall. Idem quoque valet de emphyteuta & superficiario §. 26.).

## §. LXIII.

Servitutes reales quasi traditione cum titulis habilibus conjuncta acquiruntur §. 21.). Nunc autem servitutes reales, sive sint rusticæ, sive urbanæ, sunt aut affirmativæ, quæ in patiendo, aut negativæ, quæ in intermitendo consistunt §. 51.) servitutes itaque reales, sive sint rusticæ, sive sint urbanæ, loco quasi traditionis, *si sunt affirmativæ*

*affirmativa patientia domini prædii servientis, ut do-*  
*nus prædii dominantis utilitatem ex serviente capiat,*  
*acquiruntur; si autem sunt negativaे, intermissione*  
*actuum, quos dominus prædii servientis alias susci-*  
*pere posset, & exercitio domini prædii dominantis §.*  
*46. l. 11. §. 1. ff. publ. in rem act. l. ult. ff. de serv. l. 3. §. 2.*  
*de act. emti.* §. LXIV.

Servitutes in res immobiles à bonæ fidei possessore, qui à malæ fidei possessore accepit, longissimi temporis, & qui à bonæ fidei possessore accepit, longi temporis præscriptione acquiruntur §. 21), servitutes reales, rusticæ & urbanæ sunt servitutes in res immobiles §. 40.), servitutes proinde reales, adeoque & rusticæ & urbanæ, à bonæ fidei possessore, qui eas à malæ fidei possessore accepit longissimi temporis præscriptione & qui eas à bonæ fidei possessore accepit, longi temporis præscriptione acquiruntur, §. 46.) l. 5. C. de præscr. long. temp. l. 8. C. de præscript. 30. vel 40. ann.

## §. LXV.

Constituta servitute, neque is, cui servitus constituta, aliquem actum in præjudicium ejus, in cuius rem servitus est constituta, tendentem, absque consensu domini rei servientis, vel saltem scientia suscipere potest; neque etiam dominus rei servientis in præjudicium ejus, cui servitus est constituta §. 34.). Hinc idem venit applicandum ad servitutes reales, rusticas & urbanas §. 3. 46.). Verum quum in servitute reali, is, cui servitus constituta est, vocaretur dominus prædii dominantis; & is, in cuius rem servitus realis est constituta, dominus prædii servientis §. 44.): apparet, quod neque dominus prædii dominantis actum in præjudicium domini servientis prædii tendentem,

C 3

abs-

*absque consensu vel saltem scientia suspicere possit, neque dominus prædii servientis in præjudicium domini prædii dominantis, absque ejusdem consensu vel saltem scientia: Conf. Struv. Exerc. XIII. §. 26.)*

§. LXVI.

Consolidatione servitudes in genere tolluntur §. 38.) Hinc quoq[ue] servitudes reales consolidatione tolluntur §. 3). Quum autem consolidatio servitudinis & dominii variis modis fieri solet §. 38.): Hinc apparet, quod omnibus modis, quibus consolidatio servitudinis & dominii fieri solet, etiam tollantur servitudes reales.

§. LXVII.

Omnibus modis, quibus consolidatio servitudinis & dominii fit, iisdem quoq[ue] servitudes reales, adeoque & rusticae & urbanæ tolluntur §. præc. & 46.) Tolluntur proinde servitudes reales, si dominus prædii servientis servitutem realem tertio, seu domino prædii dominantis, competentem, sibi acquirit, sive pacto, sive præscriptione, sive jure hæreditario universali, sive per legatum & fideicommissum, cum modis, his titulis respondentibus §. 36.) simul quoque, si dominus prædii dominantis præmium serviens sive pacto, sive præscriptione, sive jure hæreditario, sive per legatum & fideicommissum, cum modis hic pertinentibus acquirit. §. 37.) L. 14. de Serv.

§. LXVIII.

Servitus realis tollitur, si dominus prædii servientis, servitudinem sibi cum titulo habili & modo acquirendi, acquirit §. 67.). Cum autem dominus prædii servientis simul servitudinem acquirat, qui totum præmium dominans sibi proprium acquirit §. \*); Apparet, quod servitus realis in specie tollatur, si dominus prædii servientis præmium dominans sibi proprium, sub titu-

*titulo habili & modo acquirendi acquirit.* L. 10. ff.  
Comm. præd. l. 30. de S. P. V. l. 5. ff. si usufr. pet.

§. LXIX.

Servitutes reales à domino prædii serviente possessione lege determinata & absque protestatione domini prædii dominantis facta, præscribuntur, adeoque tolluntur (§. 67.). Servitutes itaque reales affirmativæ lege determinata & absq; protestatione domini dominantis prædii facta præscribuntur. Ast servitutes reales affirmativæ in patientia domini servientis consistunt, ut dominus dominantis usum quemdam ex prædio serviente capiat : negativæ autem in intermissione actuum domini servientis, quos alias suscipere poterat in suo prædio, (§. 44.). Servitutes proinde reales affirmativæ lege determinata & absque protestatione domini prædii dominantis facta, possessione prædii cum sublata illa patientia præscribuntur, negativæ autem lege determinata possessione & absque protestatione domini dominantis facta, cum sublata intermissione actuum servitute determinatorum. Nunc autem, absque protestatione dominantis per tempus lege determinatum, possidet dominus prædii servientis suum prædium cum sublata illa patientia ; si dominus prædii dominantis usum nullum percipit ex prædio serviente absque facta protestatione per tempus lege determinatum ; Servitutes itaque reales affirmativæ à domino prædii servientis præscribuntur ; si dominus prædii dominantis nullum ex prædio servienti usum percipit per tempus lege determinatum, absque protestatione facta. L. 8. & 10. §. 1. ff. quemad. serv. amitt. Idem quoque dominus possidet absque protestatione dominantis per tempus lege determinatum cum sublata intermissione actuum servitute deter-

determinatorum ; si non intermitit actus istos servitute determinatos , eosque potius absque protestatione domini prædii dominantis per tempus lege determinatum exercet . Servitutes igitur reales negatiæ à domino prædii servientis præscribuntur ; si iste absque protestatione domini prædii dominantis actus non intermitit , servitute determinatos , eosque potius exercet per tempus lege determinatum . L. 4. §. f. ff. de Usuc. L. 7. ff. de S. P. V.

## §. LXX.

Servitus urbana est servitus realis , cuius prædium dominans est prædium urbanum §. 46.) cum autem prædium urbanum sit prædium mercaturæ aut habitationi inserviens §. \*) : apparet , quod tummodo species servitutum urbanarum accipiamus , si determinemus utilitatem , quæ prædio , ad cultum mercaturæ , vel ad inhabitacionem ab altero prædio præstatur ; liceat itaque nobis , quasdam tantummodo servitutis species determinare , quas jus civile agnoscit .

## §. LXXI.

In mercatura sol mercibus nocet sèpissime , sàpe autem juvat , ut merces eo majori pretio vendantur ; altitudo verò prædii versus positi major cum radios solis excipere possit ; Minor autem haud præcludat tabernæ lumen : factum est , ut in prima positione Romani servitutem altius tollendi ; in altera altius non tollendi sibi formaverint . Illa adeo servitus est urbana , vi cuius prædii servientis dominus ædes determinata altitudine in usum mercaturæ prædii dominantis privare prohibetur . Hec verò est servitus urbana , vi cuius prædii servientis dominus altius exstruere

-19325

*struere aedes in usum tabernæ aut habitationis prohibetur L. 2. & 12. ff. de servitut. præd. urb. & §. 1. Inst. eod. §. LXXII.*

Habitationem sâpe aptiorem reddit lumen, quod in ædificium penetrat, adeo & hic species servitutis urbanæ formari potest §. 70.). Ponamus itaque, nos parieti alterius fenestras struere posse, ut lumen in ædificium penetreret: tummodo prædium vicinum nostro prædio aptiorem habitationem exhibet, patiendo, ut lumen per parietem ipsius penetreret in nostrum ædificium, adeoque servitutis urbanæ speciem deprehendimus, quam Romani servitutem *luminum* vocarunt, quæ adeo est *servitus urbana*, *vi cuius dominus prædii servientis pati tenetur, ut fenestras parieti suo imponere possimus*, ut lumen in ædificium penetreret nostrum. L. 4. ff. de serv. V. P.

§. LXXIII.

Concepimus in §. 72.) speciem servitutis urbanæ, nimirum servitutem luminum ex commodiori habitatione parieti alterius fenestras imponendi, ad illuminandum ædificium nostrum; cum autem exinde dominus prædii servientis, præter patientiam in suo pariete fenestras prædii possessori concedendi, habeat jus prædio suo pro arbitrio utendi in sui commodum §. \*). Hinc simul constat, quod ipsi adhuc facultas non denegata sit, aliquod in suo prædio struendi, quod luminis prædii dominantis officiat. Quare dominus prædii dominatis, ad securiorem usum servitutis luminum, potest jus titulo habili, ne lumini, quod in ædificium ipsius penetrat, officiatur, constituere; adeoque hoc modo deprehendimus jus in rem alienam in utilitatem seu commoditatem habitationis prædii dominantis

D

nantis

nantis constitutum, quod servitus urbana, & à servitute luminum diversa est §§. 70. 72.) eam Romani servitutem, ne luminibus officiatur vocarunt, quæ est servitus urbana, vi cuius dominus prædii servientis tenetur positionem intermittere, qua lumini, quod in prædium dominans penetrat, officiatur. L. 17. §. 1. & 2. l. 23. ff. de S.P.V.

## §. LXXIV.

Porrò cum & commodiorem habitationem præbeat prospectus ex nostro prædio in alienum, vel citra ipsum; hinc novam speciem servitutis urbanæ concipiimus §. 70.), quam Romani in prima determinatione prospectus, in altera vero ne prospectui officiatur, vocarunt. Est itaque servitus prospectus, servitus urbana, vi cuius dominus prædii servientis pati tenetur, ut in ipsum prædium v.gr. hortum, inficiamus; & servitus ne prospectui officiatur, est servitus urbana, vi cuius dominus prædii servientis tenetur intermittere omne id, quod prospectum domini prædii dominantis interrumpit. §. 2. Inst. de act. L. 12. & 16. ff. de S.P.V.

## §. LXXV.

Ponamus nobis ad fundamenta ædificii struenda, aut locum in nostro prædio non adesse, aut magna cum privatione aptioris inhabitationis adhiberi posse; E contra parietem vicini prædii & nostri ædificii onus facile sustinere posse; tummodo paries vicini prædii nostræ habitationi utilitatem præstare potest: hic igitur speciem servitutis urbanæ concipere possumus §. 70.), quæ vocatur servitus oneris ferendi, quæ adeo est servitus, vi cuius dominus prædii servientis pati tenetur, ut ipsius parieti dominus prædii dominantis onus ædificii sui imponat. l. 33. l. 1. ff. de S.P.V. §. 1.

J. de

J. de S.P.V. Si loco oneris, tignum ponas, accipies aliam servitutis speciem à priori, ut minus à majori differt & quæ vocatur servitus tigni immittendi L. 2. l. 20. ff. §. 4. de Ser. P. V. §. 4. I de S. P.

## §. LXXVI.

Commodiori habitationi inservit, si dominus prædii in parietem alterius prædii onus, vel tignum imponere potest, exindeque duas species servitutis urbanæ deduximus §. 75.) : si itaque ab impositione oneris, vel tigni in alterius parietem, præcindamus, tummodo adhuc concipimus ædificatum, vel tignum quoddam, quod supra alterius ædes vel areas imminet & commodiori habitationi inservit, adeoque ex hac præscissione concipimus duas alias species servitutis urbanæ à prioribus diversas, illam Romani servitutem protegendi vocarunt. Est igitur servitus protegendi servitus urbana, vi cuius dominus prædii servientis pati tenetur, ut supra ædes suas vel areas ædificatum quoddam, prædii dominantis immineat; Et hæc vocatur servitus projiciendi, quæ est servitus urbana, vi cuius dominus prædii servientis pati tenetur, ut supra ædes suas vel areas tignum prædii dominantis immineat, L. 20. pr. ff. de S.P.V. L. 242. §. 1. de V. sign.

## §. LXXVII.

Si prædium quocunque sive urbanum, sive rusticum, prædio urbano utilitatem præstat; tummodo deprehendimus servitutem urbanam §. 46) : ponamus itaque, quod prædio urbano præstet utilitatem, si aqua in ipsum cadens in vicinum derivetur, quod utique fieri posse per se quisque concedet, exinde deprehendimus servitutis urbanæ speciem §. 70.), hæc aqua in canales collecta est, aut minus, in priori positione Ro-

mani servitutem fluminis, in altera, stillicidii recipiendi formarunt: Est adeo *servitus fluminis recipiendi servitus urbana, vi cuius dominus prædii servientis pati tenetur, ut in ipsius prædium, aqua in prædium dominans cadens & in canales collecta derivetur, & sic definitio servitutis stillicidii recipiendi formatur, si aquam absque collectione in canales determinenius, L. 1. & 2. L. 20. §. 2. & seq. ff. de servit. urb. præd. §. 1. Inst. de Ser. Pr.*

## §. LXXVIII.

Servitutem urbanam concipimus, si prædium quodcunque prædio urbano utilitatem præstat (§. 46.). Nunc autem fieri potest, ut aqua in prædium alienum cadens nostro prædio urbano utilitatem præstet: v. c. in locis, ubi aqua alias rara est, exinde deprehendimus speciem servitutes urbanæ, si prædium alienum, aquam in ipsum cadens, nostro prædio concedat, seu uti Romani loquuntur, si dominus prædii servientis, à prædio dominante factam aversionem aquæ in ipsius prædium cadentis, ad nostrum prædium alias ruentis, intermittere tenetur, quæ aqua, aut in canales collecta est, aut minus, si prius determinetur, servitutem fluminis, si posterius, stillicidii non avertendi nomine insigniverunt Romani; Illa itaque est servitus urbana, *vi cuius dominus prædii servientis à prædio dominante factam aversionem aquæ in ipsius prædium cadentis, & ad prædium dominans alias ruentis, in canales collectæ, intermittere tenetur*; sic quoque concipimus definitionem servitutis stillicidii non avertendi, *si aquam absque collectione ponamus*, l. 2. ff. de S.P.V. & Strauchii exerc. 7. §. 13. Hæ servitutes, si prædio rustico debentur, alia nomina accipiunt, de quibus inferius.

## §. LXXIX.

## §. LXXIX.

Deprehendimus quoque, quod habitationi in oppidis celebribus & magnis plurimum inserviat, ad conclavia nimirum ad commodam inhabitationem componendam, si colluviem sordidam, in nostro praedio collectam, in aream vicini prædii immittere nobis licet; sed usus prædii, qui inhabitationi alterius prædii inservit, determinatus, efficit servitutem urbanam §. 70.). Hinc servitutis urbanæ speciem hic accipimus, quæ servitus cloacæ appellatur, & est servitus urbana, vi cuius dominus prædii servientis pati tenetur, ut in aream prædii servientis, dominus prædii dominantis colluviem sordidam, in areasua collectam, immittat, L. 7. ff. de serv. L. 1. ff. cloac. §. 1. I. de Serv. præd.

## §. LXXX.

Servitus luminum, prospectus, oneris ferendi, tigni immittendi, protegendi, & projiciendi, servitus fluminis & stillicidii, servitus cloacæ sunt servitutes urbanæ & in patiendo consistunt §§. 72, 74, 75, 77, 79,) sed servitutes, quæ in patiendo consistunt, sunt servitutes affirmativæ §. 6). Omnes itaque hæ prolatæ servitutes sunt urbanæ affirmativæ. Ea igitur omnia, quæ §. 40. & seq. ostendimus de urbanis & affirmativis servitutibus, ad species jamjam allatas, veniunt applicanda.

## §. LXXXI.

Servitus altius tollendi & altius non tollendi, servitus ne luminibus, & ne prospectui officiatur, quid, quod servitus fluminis & stillicidii non averterendi sunt servitutes urbanæ & in intermissione actuum, quorundam consistunt, quos dominus prædii servientis alias fuscipere valet, §§. 71, 82, 73, 78). Sed

D 3 ter-

servitutes, quæ in intermissione actuum consistunt, quos dominus rei alias suscipere valet, sunt servitutes negativæ §. 6.). Omnes itaque servitutes hic prolatæ sunt servitutes negativæ; Quicquid adeo §. 40. 41. & seq. multis verbis de servitutibus urbanis & negativis proposuimus, ad species hic commemoratas applicari posse facile intelligitur.

## §. LXXXII.

Res, in quam servitus constituitur, habet causam utilitatis perpetuam §. 13.). Hinc quis subsumere posset, quod servitus stillicidi non avertendi, quæ pluviam supponit, non habeat causam utilitatis perpetuam; non enim semper pluit: adeoque servitus stillicidii non avertendi non est actu referenda ad servitutes: Ast liceat mihi cum Struvio exerc. XIII. §. 25. Synt.jur.civ. respondere, quod in hac servitute causa naturalis quidem perpetua sit, etiamsi non perpetuo operetur.

## §. LXXXIII.

Servitutes reales affirmativæ à domino prædii servientis præscribuntur, si dominus prædii dominantis ex prædio serviente nullum usum percipit, per tempus lege determinatum, & absque præcedente facta protestatione §. 69.), & ab eodem negativæ præscribuntur, si dominus prædii servientis actus servitute determinatos non intermitte, eosque potius absque protestatione domini prædii dominantis per tempus lege determinatum exercet §. cit.) Hinc cum servitutes urbanae & rusticae sint servitutes reales, quarum aliae affirmativæ, aliae negativæ sunt §. 51.), satis constat, simul & urbanas & rusticæ, affirmativas sub priori modo, negativas sub posteriori, præscribi debere. Ast probe notandum, quod hoc tantum ratione rusticarum obtineat, conf.

Struv.

Struv. Synt. jur. civ. Exerc. XIII. §. 58.). Verum in præscriptione, urbanarum, affirmativarum cum non usu servitutis domini prædii dominantis, simul requiritur ut dominus prædii servientis, quosdam actus exerceat, quos alias in negativis exercere deberet, si præscripturus esset servitutem; Id, quod satis apparet ex generali assertione L. 6. & L. 7. ff: de Serv. P. V. pro-lata, ubi tigni immisso, ut in ceteris legibus, tanquam casus specialis adducitur, L. 4. §. ult. de Usuc. l. 18. §. ult. de S. P. V. &c. id, quod arbitrarium nos jamjam assu-mimus, ad discriminem inter rusticas & urbanas servitudes, eo majori attentione tenendum.

#### §. LXXXIV.

Servitudes rusticæ sunt servitudes reales, quarum præ-dium dominans est rusticum, serviens autem quocun-que §. 46.), adeoque in servitate rustica prædio rusticó utilitas à prædio quocunque præstatur §. 44.), & ex con-sequenti prædium utilitatem capit ad colendam rem pecuariam vel frumentariam §. \*); liceat itaque nobis ad ductum juris civilis determinare utilitatem, que prædio ad colendam rem vel pecuariam, vel fru-men-tariam ab alio prædio quocunque exhibetur, & exinde species servitutis rusticæ evolvere.

#### §. LXXXV.

Determinando utilitatem, quam ex alio quocun-que prædium capit, ad colendam in isto remi pecuariam vel frumentariam, accipimus species servitutis rusticæ §. præc.). Nunc autem, si dominus prædii, ad colendam in isto remi vel pecuariam vel frumentariam, transgredi potest per aliud prædium vicinum: tummo-do utilitas quedam determinatur, quam ex alio quo-cunque, prædium capit ad colendam rem pecuariam vel

vel frumentariam, adeo & hoc modo deprehendimus species servitutis rusticæ, si dominus prædii dominantis, ad colendam in isto rem pecuariam vel frumentariam transgredi potest per aliud vicinum.

## §. LXXXVI.

Oritur species servitutis rusticæ, si dominus prædii, ad colendam in isto rem pecuariam vel frumentariam, jus habet transgredeundi per vicinum prædium quodcunque §. 85.). Quum autem ad colendam rem pecuariam vel frumentariam in prædio modo unius hominis, modo unius bruti, modo duorum brutorum transgressio juxta se invicem facta, requiratur. Hinc Romani quoque tres species servitutis rusticæ exinde deduxerunt & primam servitutem itineris, secundam, actus, tertiam, servitutem viæ appellarunt. *Servitus igitur itineris est servitus rustica, vi cuius dominus prædii servientis pati tenetur, ut persona una vel plures prædii dominantis sigillatim per ipsum prædium serviens transgrediantur.* Et servitus actus est servitus rustica, vi cuius dominus prædii servientis pati tenetur, ut per suum prædium dominus prædii dominantis unum jumentum vel plura seorsim agat. Denique servitus viæ est etiam rustica, vi cuius dominus prædii dominantis pati tenetur, ut per suum prædium dominus prædii dominantis duo jumenta juxta se invicem agat. L. I. ff. de Serv. Pr.R. . I. I. eod.

## §. LXXXVII.

Servitutes itineris, actus & viæ in patiendo consistunt §. præc.) adeoque sunt servitutes rusticæ affirmativæ §. 6.) quicquid adeo de servitutibus rusticis affirmativis & adeoque realibus §. 40. & seq.) protulimus hic applicari posse, dubium non est.

## §. LXXXVIII.

## §. LXXXVIII.

Is, qui servitutem actus habet, gaudet jure brumum suum, vel plura seorsim, ad colendam in prædio suo rem vel pecuariam vel frumentariam, agendi §. 86.). Quum autem in hoc spatio homines sigillatum ire possint; appareat, quod is, qui servitutem actus habet, simul jure gaudeat eundi vel ambulandi hominis per prædium vicinum; Quum autem illud jus servitutem itineris constituat §. 86); appareat, quod *is, qui servitutem actus habet, simul servitutem itineris habeat.* L. i. pr. ff. de servit. rust. præd.

## §. LXXXIX.

Servitus viæ involvit jus domino prædii dominantis competens duo bruta, juxta se in vicem, agendi per prædium vicinum quodcunqne, ad colendam rem pecuariam vel frumentariam §. 86.) Quum autem in spatio, quo duo bruta juxta se invicem agi possunt, simul unum brutum vel plura seorsim agi possint, hoc autem servitus actus involvat §. cit.) appareat, quod *servitus viæ servitutem actus involvat.* L. 7. pr. ff. de S. P. R.

## §. XC.

Servitus viæ servitutem actus involvit §. præc.), sed servitus actus involvit servitutem itineris §. 88.), adeoque *servitus viæ simul involvit servitutem itineris,* L. i. & L. 7. pr. ff. de servit P. R.

## §. XCI.

Servitus actus est servitus rustica, vi cuius dominus prædii servientis pati tenetur, ut dominus prædii dominantis per prædium suum unum vel plura bruta seorsim agat §. 86.). Quum autem ad agendum jumentum ordinariè spatium quatuor pedum requiratur, id,

E

quod

quod usus communis approbat; simul constat, quod servitus actus spatium quatuor pedum requirat. Vid. Struv. Jurisp. Lib. 11. Tit. 3. §. 7.)

## §. XCII.

Servitus actus supponit spatium quatuor pedum. §. 91.) Quum autem iter hominis vix dimidium spatium ordinarie requirat, quam, quod actus jumenti requirit; Hinc recte JCTi illi judicant, qui dimidiā partem spatiū servitutis actus, servituti itineris, nimirū spatiū duorum pedum, adscribunt.

## §. XCIII.

Servitus viæ est servitus rustica, vi cuius dominus prædii servientis pati tenetur, ut dominus prædii dominantis per prædium suum duo jumenta juxta se invicem agat §. 86.). Quum autem in servitute actus, quo jumentum agitur, quatuor pedum spatium requiratur §. 91): apparent, quod in servitute viæ duplex numerus, nimirū spatiū octo pedum requiratur; verum notum, quod jumenta, si vehiculum agunt, ordinarie in anfractum, spatium in porrectum dupliciter sumtum, requirant; apparent igitur, quod servitutis viæ involvat spatiū acto pedum in porrectum, in anfractum autem spatiū sedecim pedum, in prædio serviente. L. 8. ff. de Ser. P. R.

## §. XCIV.

Servitutis rusticæ species oriuntur, si prædii dominantis domino ad colendam in isto rem vel frumentariam vel pecuariam ab alio prædio quocunque utilitas præstatur §. 84): ponamus itaque, prædium dominans, cui ab alio utilitas ista præstatur, alias esse urbanum, illud tamen rusticum est sub hac hypothesi, rusticamque adeo servitutem efficit §. \* & 46). Conf. Celeb. Hejnec-

cii Antiq. l. i i. T. 3. §. 1. Sic igitur sub hac hypothesi iter, actus & via constitui possunt in alio prædio §. 86). Multo magis servitus rustica manet, si prædium serviens est urbanum, cum nimirum JCTi ad serviens prædium non attendant in servitutibus rusticis, sive urbanum sit, sive rusticum §. 47). Neque tamen minus ea annotare volui; Quum multis modis fieri soleat, ut in urbibus hæ species servitutis urbanæ, iter scilicet, actus, & via locum obtineant, ne has pro urbanis habeamus, eaque hic applicemus, quæ §. 83.) de urbanis tradidi.

## §. XCV.

Determinando utilitatem, quam ex prædio quo-  
cunque prædium, ad colendam in isto rem pecua-  
riam vel frumentariam, capit; accipimus species ser-  
vitutis rusticæ §. 84.). Nunc autem, si dominus prædii  
dominantis aquam per vicinum prædium ducit, aut ex  
vicino flumine vel fonte haurit, ad colendam in isto  
vel rem pecuariam vel frumentariam; tummodo de-  
terminatur utilitas, quam ex prædio quounque præ-  
dium capit, ad colendam in isto rem pecuariam; adeo-  
que, hoc modo, duas deprehendimus species servitutis  
rusticæ; Illam servitutem aquæductus, hanc aquæhau-  
stus appellant Romani. Est adeo *servitus aquæ-  
ductus servitus rusticæ*, vi cuius dominus prædii ser-  
vientis pati tenetur, ut per fundum suum dominus  
prædii dominantis aquam ducat. L. i. pr. L. 9. ff. de  
Serv. P. R. Et *servitus aquæhaustus* est *servitus ru-  
stica*, vi cuius dominus prædii servientis pati tenetur,  
ut ex flumine vel fonte suo dominus prædi dominantis  
aquam hauriat. L. i. §. 1. L. 9. ff. de S. P. R.

E 2

## §. XCVI.

## §. XCVI.

Servitus aquæductus est servitus rustica & servitus fluminis est servitus urbana §. 95. & 76.) in utraque servitute aqua per prædium serviens derivatur à domino prædii dominantis §. cit.) Ast in illa sit, ad colendam rem pecuariam, in hac, ad inhabitacionem inferviendam §. cit.). *Hinc hæ servitutes tantum in fine, utilitatem per derivationem aquæ prædio nostro conferendi, differunt.* Vid. Titii Jus pr. lib. I I I. T. I. §. 97.

## §. XCVII.

Si dominus prædii cuiusdam pecora sua ad aquam alieni prædii adducere potest, aquandi gratia, per se quisque facile intelliget, quod hic utilitas quedam determinetur, quam ex prædio alieno dominus prædii capit, ad colendam in isto rem pecuariam: Ast si utilitas determinatur, quam ex prædio alieno dominus prædii capit, ad colendam in isto rem pecuariam vel frumentariam, oritur species servitutis rusticae : §. 84): Si igitur dominus prædii pecora sua, aquandi gratia, ad aquam alieni prædii adducere potest, species servitutis rusticae oritur; quam JGti pecoris ad aquam appulsus vocant, quæ adeo est servitus rustica, vicinus dominus prædii servientis pati tenetur, ut ad aquam hujus prædii dominus prædii dominantis pecora sua, aquandi causa, adducat. L. I. §. 1. L. 4. & 5. ff. de Serv. P. R.

## §. XCVIII.

Porro, si dominus prædii pecora sua in alienum prædium seu fundum pascere potest, eodem quoque modo utilitas determinatur, quam ex prædio alieno dominus prædii capit, ad colendam in isto rem pecuariam: Verum, si utilitas determinatur, quam ex prædio alieno dominus prædii capit, ad colendam in isto rem pecua-

pecuariam vel frumentariam; oritur servitutis rusticæ species §. 84). Hic adeo species servitutis rusticæ oritur, si dominus prædii pecora sua in fundo alieno pascere potest, quæ servitus pascendi appellatur; Quæ igitur est servitus rusticæ, vi cuius dominus prædii servientis pati tenetur, ut in suo fundo dominus prædii dominantis pecora sua pascat. L. 4. ff. de Serv. Pr. R.

## §. XCIX.

Servitus aquæductus & aquæhaustus, servitus pe-  
coris ad aquam appulsus, servitus pascendi, sunt ser-  
vitutes rusticæ & in quadam patientia consistunt. §. 95,  
97, 98). Sed servitus rusticæ, quæ in patientia quadam  
consistit, est servitus rusticæ affirmativa §. 51): Omnes  
igitur hæ servitutes sunt rusticæ affirmativæ; & ex con-  
sequenti ea omnia hic veniunt applicanda, quæ §. 40)  
& seq.) tradidimus.

## §. C.

Res, in quam servitus rusticæ constituitur, debet  
causam utilitatis perpetuam habere §. 13. 46). Cum  
autem aqua in cisterna non habeat causam utilitatis  
perpetuam, id quod ex notione communi apparent:  
Hinc aqua in cisterna non potest efficere servitutem  
rusticam; adeoque nec servitutem aquæductus §. 95),  
L. 1. §. 4. ff. de fonte & L. 1. §. 5. ff. de aqua quotid.

## §. CI.

Servitus aquæductus est servitus rusticæ §. 95), adeo-  
que realis §. 46). Sed in servitute reali dominus prædii  
servientis non tenetur ad reficiendum id, quo prædium  
suum alteri dominantι utilitatem præstat. §. 48). Adeo-  
que dominus prædii servientis, in servitute aquædu-  
ctus, non tenetur ad reficiendas canales vel fossas, per  
quas aqua ducitur, potius vero tenetur ad eas refi-

*ciendas dominus prædii dominantis*, L. 15. §. 1. ff. de S. P. R. id, quod & juri germanico conveniens est §. 33). Conf. Titii Jus pr. lib. 3. c. 13. §. 20. §. CII.

Servitus aquæhaustus est servitus rustica, adeoque realis §. 95. 46). Hinc secundum demonstrationem §. præc. datam, iure civili, non tenetur dominus prædii servientis ad puteum vel fontem reficiendum, si forsitan usu deterioraretur. Ast, si dominus prædii servientis seu fontis vel fluminis maximam ex eodem caperet utilitatem, id, quod ordinarie fieri solet; tummodo secundum jus germanicum tenetur ad reficiendum fontem vel alveum fluminis collapsum §. 33). Tit. jus pr. l. 3. c. 13. §. 20. Idem quoque valet de servitute pecoris ad ripam appulsus §. 97).

## §. CIII.

Servitus pascendi est servitus rustica, vi cuius dominus prædii servientis pati tenetur, ut in suo fundo pecora sua pascat §. 98). Cum itaque in hac servitute pecora ipsa, tum numerum pecorum, denique tempus pascendi adhuc non determinavimus, id, quod tamen salvis principiis generalibus servitutum realium fieri potest §. 40 & seq). Hinc utique appareat, quod determinatione aut pecorum, aut numeri illorum, aut temporis pascendi oriri possint species servitutis pascendi; quæ verò, cum nomina singularia adeptæ non sint à JCtis: Nobis jamjam sufficiat, istas species servitutis pascendi notasse. Add. Berlich. p. 2. concl. 47, & Carpz. p. 2. c. 41.

## §. CIV.

Accipimus species servitutis pascendi, si pecora, aut numerum eorum, aut tempus pascendi determinare

nare volumus §.103). Ponamus itaque, quod pecora & numerum eorum determinaverint domini prædiorum, & post illam determinationem domino prædii servientis in fundo adhuc pabulum relictum sit, ut & sua pecora ibidem pascere possit : tummodo & dominus prædii servientis pecora sua ibidem pascere posse exinde constat. Dominus re sua pro arbitrio uti potest, si usu tertius non lèditur §.\*). Nunc autem hic per hypothesisin assumimus, quod dominus prædii dominantis non lèdatur , si dominus prædii servientis reliquum pabulum suis porrigat pecoribus, adeoque posita hac hypothesi dominus prædii servientis habet jus reliquum pabulum suis porrigendi pecoribus ; id quod jus alii jus compascui vocare solent. Conf. Struv. Jurisp. civil. lib. 2. Tit. 3. §.12.

## §. CV.

Dominus prædii servientis habet jus pecora sua in suo fundo pascendi, si numerus pecorum domini prædii dominantis determinatus est, & aliquid pabuli superest §.104). Ponamus itaque, sive dominum prædii dominantis , sive dominum prædii servientis pecora morbida pascere velle in tali fundo ; tum unus actum suscipere vult, in alterius præjudicium tendentem. Pecora enim alterius sana contagione affici possunt. Sed neque dominus prædii dominantis actum in præjudicium domini prædii servientis absque hujus consensu, vel saltem scientia suscipere potest , neque vice versa dominus prædii servientis. §.62). Hinc apparet, quod in tali fundo, neque dominus prædii dominantis pecora morbida absque consensu vel saltem scientia domini prædii servientis pascere possit, neque etiam dominus prædii servientis absque consensu domini prædii domi-

*dominantis. Conf. Struv. Syntag. jur. civil. exerc. XXII.  
lib. 8. T. 3.*

§. CVI.

Romani jus calcis coquendæ, jus arenæ fodiendæ, pedamenta sumendi, lapides cedendi, lignandi &c. ad servitutes rusticæ referunt. L. 5. & 6. ff. de S. P. R. Quæ quidem relatio minime rejicienda, cum ordinariæ prædium dominans harum servitutum rusticum sit, quod servitutes rusticæ efficit (§. 46.). Cum tamen non impingat, quod & prædium dominans urbanum sit harum servitutum §. 44.). Hinc quoque concipimus, quod & istæ servitutes urbanae esse possint. §. 46.).

Si itaque quædam ex his occurrat servitus, respiccamus necesse est ad prædium dominans, ut exinde judicare possimus, an servitus occurrens sit rustica, an verò urbana. Quid, quod cognita servitutis specie, ea, ad servitutem occurrentem applicanda veniunt, quæ supra de servitute rustica, vel urbana tradimus §. 46. & seq.)

§. CVII.

In Germania deprehendimus adhuc alia jura, nimirum dominis molendini vel furni cujusdam competentia in prædiorum alienorum possessores vel dominos, vi cuius isti possessores in utilitatem dominorum molendini vel furni frumenta molere ibidem & panem coquere tenentur, quæ molendina bannalia, & quos furnos banales appellant JCTi Germani. Liceat itaque nobis præeunte Stryckio in cont. Usus mod. Pand. lib. 8. T. 1. inquirere ad ductum principiorum supra stabilitorum, an ista jura ad servitutes, & ad quasnam species servitutum referri possint.

§. CVIII.

## §. CVIII.

In molendinis & furnis bannalibus deprehendimus jus dominis molendini vel furni competens in possessores prædiorum alienorum, vi cuius isti in utilitatem domini molendini frumenta molere & in utilitatem furni panem coquere ibidem tenentur §. 107.) adeoque in molendinis & furnis bannalibus deprehendimus jus in rem alienam in utilitatem molendini & furni, seu rei nostræ, constitutum. Sed illud jus involvit servitutem realem §. 3.). *Molendina itaque bannalia & furni banales involvunt servitutem realem.*

## §. CIX.

Molendina bannalia & furni banales ideo involvunt servitutem realem, quia ibidem deprehendimus jus dominis molendini & furni in utilitatem constitutum in rei alienæ possessores §. 108), sed molendina & furni sunt res immobiles, quæ rei frumentaria inserviunt, & ex consequenti sunt prædia rustica §.\*). Molendina bannalia itaque & furni banales involvunt servitutem realem, in qua prædio rustico utilitas præstatur, & ex consequenti in qua præmium dominans est rusticum §. 44.). Verum servitutes reales, cujus præmium dominans est rusticum, vocantur servitutes rusticæ §. 46.). *Molendina igitur bannalia & furni banales referri possunt ad servitutis rusticæ species.*

## §. CX.

Molendina bannalia & furni banales involvunt iura, vi ejus istorum domini cogunt prædii alieni possessores, ut ibidem frumenta moleant & panem coquant §. 107.). Aet molere frumenta, & panem coquere, involvit factum commissivum. §.\*.) *Molendina ergo bannalia & furni banales involvunt factum commissivum domini prædii servientis.*

F

CXI.

## §. CXI.

Molendina bannalia & furni bannales à germanis originem traxere, & involvunt servitudes rusticæ, factūque commissivum domini prædii servientis §. 109. 110.). Sed apud germanos nihil obstat servituti, sive in facto commissivo sive omisssivo consistat §. 2.). Hinc quoque factum illud commissivum non impedit, quo minus molendina & furni bannales ad servitudes apud germanos referantur. Titii jus pr. lib. III. c. 13. §. 17.

## §. CXII.

Porro quoque in germania nostra deprehendimus jus domino prædii cuiusdam competens in possessores alieni prædii rusticæ, vi cuius isti tenentur certas operas domino prædii præstare; Eadem, qua priori methodo analyticæ eruimus, quod molendina bannalia involvant servitudinem realem & rusticam, etiamsi factum commissivum supponant §. 111.), quoque & hic demonstrare facile est, quod jus jamjam prolatum servitudinem realem, & quidem ordinariæ rusticam involvat, cum operæ rusticorum ordinariæ inserviant ad rem colendam frumentariam, etiamsi factum commissivum supponant. Verum enim verò institutum nostrum prohibet ea hic proponendi, quæ uberiori pandectarum tractationi sunt relinquenda.

## CAPUT. III.

*De Servitutibus personalibus.*

## §. CXIII.

**S**ervitus personalis est servitus in persona nostræ individuæ utilitatem constituta §. 3.). Utilitatis proinde modus in definitione determinatus non est; Hanc igitur utilitatem personæ nostræ individuæ, tam ad necessitatem tantum, quam simul ad voluptatem seu arbitrium

bitrium constitui posse, nemo in dubium vocabit; In priori positione, JCti servitutem usus, in altera, usus-fructus nomine insigniverunt. Est itaque *ususfructus servitus personalis re tam ad necessitatem, quam voluntatem utendi*; Usus verò *servitus personalis, re aliena ad necessitatem utendi*. L.1. ff. de usufr. §.1. Inst. de usu.

## §. CXIV.

Eum, cui ususfructus in rem alienam constituitur, JCti usufructuarium, & illum, cui usus in rem alienam competit, usuarium vocant.

## §. CXV.

Servitus personalis est servitus, in utilitatem personæ nostræ individuæ, constituta §.3. 113). Ponamus, *banc rem alienam esse ædificium alienum*; tummodo speciem servitutis personalis deprehendimus, quam habitationem vocare licet.

## §. CXVI.

Habitatio est servitus personalis §.115), sed servitus personalis tam in usufructu, quam usu consistere potest §.113). *Habitationem proinde tam in usufructu, quam usu ædificii consistere posse constat*. L.2. §.3. ff. & L.4. ff. de usu & habit. §.2. & 5. Inst. eod.

## §. CXVII.

Habitatio tam in usufructu, quam usu ædificii alieni consistere potest §.116). Notandum tamen, quod JCti, si habitationem ponant, semper usumfructum ædificii intelligant §.5.) Inst. de usu & habitat.

## §. CXVIII.

Servitus personalis est servitus in utilitatem personæ nostræ individuæ constituta §.3). Cum autem vel tertius vel haeres noster non sit nostra persona individua; id, quod ex notione individui appetet; Hinc *servitus personalis ad tertium vel haeredem nostrum non transit;*

*transit; neque igitur ususfructus, neque usus. §. 113.)  
L. 3. §. 6. ff. quib. mod. ususfr. amitt.*

§. CXIX.

Res, in quam servitus constituitur, est res, qua salva substantia uti possumus §. 12). Ast servitus personalis refertur ad species servitutum §. 3); adeoque *res, in quam servitus personalis constituitur, esse debet res, qua salva substantia uti possumus, servitus igitur personalis requirit usum salva rei substantia.* L. 1. de usufr. pr. Inst. eod.

§. CXX.

Servitus personalis requirit usum salva rei substantia §. 119). Verum ususfructus, usus & habitatio sunt servitutes personales §. 113, 115). *Ususfructus igitur, usus & habitatio requirunt usum salva rei substantia* §. 1. I, de Usu & hab. L. 13. C. eod.

§. CXXI.

Res, qua salva substantia uti possumus, est res in quam servitus personalis constitui potest §. 119). Ast dantur, experientia teste, res immobiles & quædam res mobiles, quibus salva substantia uti possumus; Hinc utique appetet, *quod res immobiles, & quædam res mobiles sint res, in quas servitus personalis constitui possit.* §. 2. I de Usufr.

§. CXXII.

Res, in quam servitus personalis constituitur, est res, qua salva substantia uti possumus §. 119): Ast re fungibili salva substantia uti non possumus, quippe quæ ipso usu consumitur §\*). *Res adeo fungibilis non est res, in quam servitus personalis; adeoque usus & ususfructus constitui possit* §. 113). §. 2, I, de Usufr. L. 7, & 8. ff. de Ulu & usufr. ear. rer. quæ usu.

§. CXXIII.

Principium, ex quo concipimus, cur ususfructus in

re

re fungibili esse nequeat, est illa propositio; quod nimirum res, in quam servitus constituitur, debeat esse res, qua salva substantia uti possumus §. 122.). Ponamus, nos, loco usus rei salva ipsius substantia percepti, substituere posse eandem rei speciem & quantitatem; tummodo cessaret principium, quod impedit, quo minus ususfructus in re fungibili esse possit: & ex consequenti & ususfructus in re fungibili consistere posset, modo res usufructuaria fungibilis post mortem usufructuarii in eadem specie & quantitate restitui possit. Nunc autem hæc hypothesis principiis servitutis generalibus contradicit, quæ necessario usum salva rei substantia requirunt §. 12.). Adeoque ususfructus, non actu, sed per fictionem in re fungibili concipi potest, quem adeo Romani quasi usumfructum appellare solent.) §. 2. I. de Usufr.

## §. CXXIV.

Dominus tertio in rem suam constituit lervitutem in genere inter vivos, pacto justo, præscriptione, & actibus mortis causa, legato & fidei commissio §. 16, 17, 18;) Apparet itaque, quod dominus servitutem personalem & ex consequenti usum, usumfructum & habitationem tertio in rem suam constituat inter vivos, pacto justo, & præscriptione, & actibus mortis causa, legato & fideicommissio §. 3. 113, & 115). §. I. I de Usufr. L. 4, & 3. & 29. ff. de Usufr.

## §. CXXV.

Dominus utilis titulis habilibus absque consensu domini directi servitutem in rem suam tertio constitutere potest tamdiu duraturam, quamdiu durat dominium utile; Dominus verò directus, tantum cum consensu domini utilis, servitutem titulis habilibus in rem sibi propriam constituit §. 26, 27, 29). Hinc dominus utilis absque consensu domini directi servitutem per-

sonalem, usumfructum proinde, usum & habitationem in rem suam tertio constituere potest tamdiu duraturam, quandiu durat dominium utile; Verum dominus directus servitutem personalem ejusque species cum consensu domini utilis tertio constituere potest §. 3, 113.). Id, quod de domino utili dictum, simul ad dominum interimisticum seu bona fidei possessorem, & dominum, qui revocabile habet dominium, venit applicandum §. 28); L. 1. pr. ff. quib. mod. ususfr. amitt. L. 9. §. 1. ff. quemad. cav. L. 13. ff. de pignor.

## §. CXXVI.

Filiusf. in rem peculii adventitiis irregularis, castrensis, & quasi castrensis potest servitutem in genere constituere tertio titulo habili §. 30): Hinc nihil obstat, quo minus filiusf. & personalem servitutem, adeoque usumfructum & usum in easdem res constituere possit §. 3. 113.)

## §. CXXVII.

Dominus tertio servitutem constituere potest in rem suam titulo habili §. 16, 17, 18). Ast usufructuarinus & usuarius dominus rei non est §. 8, & 114). Usufructuarinus proinde & usuarius nullam servitutem & exinde neque realem, neque personalem constituere potest §. 3. I. de Usufr.

## §. CXXVIII.

Servitus in genere à judice constituitur ad dirimendas in republica controversias §. 32). Servitutes proinde personales & ex consequenti ususfructus, usus & habitatio à judice constitui possunt ad dirimendus in republica controversias §. 3. 113.) L. 6. §. 1. de Usufr. L. 16. §. 1. ff. de fam. hercis.

## §. CXXIX.

Legem in prioribus §.\*). deducimus, quod patri in peculiis adventitiis regularibus constituantur ususfructus, eodem

codem modo, quo conjugi ad secundas nuptias trans-eunti in bonis ex liberalitate conjugis defuncti acceptis. §.\*). Hinc adeo apparet, quod dentur modi, quo & à lege ususfructus alicui constituatur. L.6.C. de bonis, quæ liberis, L.3.C. de secund. nupt.

## §. CXXX.

Servitutes acquiruntur quasi traditione conjuncta cum pacto justo domini rei, & post aditam hæreditatem, jure legati & fideicommissi, præscriptione b. f. facta §. 20. & 21.). Servitutes proinde personales, ususfructus itaque, usus & habitatio acquiruntur quasi traditione,) quæ fit exercitio ab una, & patientia ab altera parte,) conjuncta cum pacto justo domini, & post aditam hæreditatem, jure legati & fideicommissi, denique & præscriptione b. f. facta §. 3, 113, 115.). L.3.pr.ff. de Usufr. L.f. in fine de præscr. longi temp.

## §. CXXXI.

Jura, quæ additione hæreditatis conjuncta cum jure hæreditario universalis acquiruntur jure civili, morte non expirant §.\*). Ast servitutes personales sunt jura, quæ morte expirant etiam jure civili §. 118.). Servitutes proinde personales additione hæreditatis conjuncta cum jure hæreditario universalis non acquiruntur. Remanet itaque tantum legatum & fideicommissum, quo non solum constituuntur, verum etiam post aditionem hæreditatis ipso jure acquiruntur ista servitutes, ut §. præc. probavi. L.3. ff. de Usufr.

## §. CXXXII.

Servitutes rerum immobilium a b. f. possessore, cui a m. f. possessore constituta, præscriptione longissimi temporis, & cui a b. f. possessore constituta, præscriptione longi temporis acquiruntur §§. 22, 23.). Hinc apparet, quod servitutes personales, adeoque ususfructus, usus

*usus rerum immobilium, quid, quod & habitatio, quæ res immobiles ordinarie supponit, a b.f. possessore, cui illæ à m. f. possessore constitutæ sunt, præscriptione longissimi temporis, & cui à nullo malæ fidei possessore constitutæ sunt, longi temporis acquiruntur §. 3, I I 3, 115.). L.f. C. de Præscr. longi temp. & L.8. Cod. de præscrip. 30. & 40. ann.*

### §. CXXXIII.

Servitutes in res mobiles præscriptione decennii acquiruntur §. 24). Nemo itaque inficias ibit, quod & servitutes personales, & proinde *ususfructus & usus in res mobiles*; Habitatio enim ordinarie rem immobilem supponit, præscriptione decennii acquiri possint §. 3, 113).

### §. CXXXIV.

*U*lusfructus est servitus personalis, qua nobis usus rei tam ad necessitatem, quam voluptatem competit §. 113). Usumfructum itaque qui habet, seu usufructuarius gaudet jure re aliena ad voluptatem utendi, & ex consequenti jure à domino concessio re aliena pro arbitrio utendi. Ast is, qui jure gaudet re pro arbitrio utendi fit perceptione fructuum, ex re provenientium, dominus §. \*). *U*usufructuarius igitur fructuum, ex re provenientium, fit perceptione dominus L. 13. ff. Quib. mod. ususfr. amitt. L. 12. §. f. L. 7. pr. L. 59. ff. de Usufr.

### §. CXXXV.

*U*lusfructus morte usufructuarii exspirat §. 118). Sed ususfructus involuit jus re aliena pro arbitrio utendi, perceptioneque dominium fructuum acquirendi §. 134). Jus adeo re aliena pro arbitrio utendi perceptioneque fructuum dominium acquirendi morte usufructuarii exspirat. Hinc nec hæredes usufructuarii illud jus re aliena pro arbitrio utendi perceptioneque fructuum

fructuum dominium acquirendi habent ; Ast separatio  
fructuum involuit perceptionem §.\*). Hinc si usu-  
fructuarius fructus nondum separaverit , nec illa-  
rum dominium acquirit , & ex consequenti nec  
ad hæredes pertinent jure civili §.\* ) S. 36. I. de  
D. R.

## §. CXXXVI.

Ast in fructibus industrialibus jure Saxonico aliud  
obtinet. Ibidem nimurum sationem agri, & subactio-  
nem rastris factam considerant tanquam factum , ex  
quo concipere licet , usufructuarium velle fructus  
fibi acquirere, adeoque tanquam modum dominium  
acquirendi considerant §.\* ). Nunc autem fructus ex  
re usufructuaria percipiendi jure gaudet usufructua-  
rius §. 134.) id , quod titulus est dominium fructuum  
acquirendi §.\* ). Post sationem itaque agri & sub-  
actionem rastris factam concipimus jure Saxonico in  
usufructuario modum dominium fructuum acquiren-  
di & titulum ; Sed is , qui modo & titulo vero domini-  
um acquirendi instructus est verus rei fit dominus §.\* ).  
*Jure igitur Saxonico post sationem agri et subactio-  
nem rastris factam usufructuarius fit dominus fru-  
ctuum , Vid. LandR. Lib. 2. art. 58. Carpz. p. 1. c. 5.  
d. 21.24. Idem quoque obtinet ratione vineæ post diem  
Urbani , d.art. 58. Richt. Decis. 56. n. 4.*

## §. CXXXVII.

Dominus consensu suo , acceptato à tertio, eidem  
usumfructum in rem suam constituit §.116). Cum au-  
tem præsumatur dominum consentientem in constitu-  
tionem ususfructus alteri factam , tantum ordinarios  
fructus sibi repræsentasse. Hinc apparet, quod domi-  
nus consensu suo , acceptato ab usufructuario , eidem

G

jus

*jus percipiendi fructus ex re sua ordinarios tantum constituat §. 134).*

§. CXXXVIII.

Usufructuario jus est à domino rei constitutum usus & fructus ex eadem re percipiendi ordinarios §. 137). Cum autem thesaurus, & partus ancillæ non sint referendi ad ordinarios usus & fructus rei, vel ancillæ; id, quod ex notione communi assumo; Apparet, quod *usufructuario non sit à domino rei jus constitutum percipiendi, thesaurum, quem in fundo invenierit*; Interea tamen, uti alius extraneus, dimidiam partem accipit, si fortuito invenerit §.\*). L. 7. §. 12. ff. soluto. matr. *neque partum ex ancilla usufructuaria natum L. 68. pr. ff. de usufr.*

§. CXXXIX.

Usufructarius jure gaudet percipiendi omnes fructus, qui salva substantia ex re proveniunt §. 134). Adeoque pacto illud jus percipiendi fructus ex re salva rei substantia proenientes transferre potest in alterum pro certa mercede §.\*). Ast hoc pactum vocant contractum locationis conductionis §.\*). *Usufructuarinus proinde rem usufructuariam alteri locare potest L. 12. §. 2. ff. de usufr.*

§. CXL.

Usufructarius jus habet percipiendi omnes fructus ordinarios ex re salva substantia provenientes, perceptioneque fit dominus fructuum §. 134). Hinc pacto illud jus percipiendi omnes fructus, ex re salva substantia provenientes, in alterum pro certo pretio transferre, alterique simul concedere potest, ut pro eo percipiat fructus §.\*). Verum enim vero tummodo alter jure gaudet percipiendi omnes fructus, ex re salva sub-

substantia provenientes, simulque & perceptione fructuum instruitur. Hinc & perceptione fit dominus fructuum ex re salva rei substantia provenientium. §. cit.) Usufructarius proinde ea omnia in alterum isto pacto transtulit, quæ pertinent ad dominii acquisitionem. Idem adeo est, ac si dominium ipsum in alterum isto pacto transtulisset, sed is, qui dominium rei in alterum pro certo pretio transfert rem alteri vendit: ut ex ratione venditionis apparet. Quamobrem *satis constat usufructuarium alteri usumfructum vendere posse L. 12. §. 2. ff. de Usufr.*

## §. CXLI.

Dominus rem suam alienare potest §. 1\*) verum is, qui personalem in rem quandam habet servitutem dominus illius rei non est §. 3. & 8.) Hinc is, qui personalem in rem quandam habet servitutem, sive fit usufructarius, sive usuarius §. 114.) rem usufructuarium, vel usuarium, alienare nequit. L. 9. ff. de Usufr.

## §. CXLII.

Habitatio est servitus personalis, quæ usumfructum ædificii involvit §. 117.) sed is, qui usumfructum rei habet, alteri rem locare potest §. 139). Hinc is, qui habitationem habet, ædificium usufructuarium alteri locare potest ad inhabitandum §. 5. I. de usu, & hab. L. 13. C. de usufr.

## §. CXLIII.

Uſus est servitus personalis, qua nobis uſus rei tantum ad necessitatē, non autem simul ad voluptatem competit §. 113.). Usuarius proinde non gaudet jure re ad voluptatem, & ex consequenti pro arbitrio utendi; Verum cum jure re pro arbitrio utendi connexa est locatio rei usufructaria & venditio usufructus §. 138.

139). satis igitur constat usuarium rem usuariam, neque locare, neque vendere posse §. 1. I. de usu & habit. §. CXLIV.

Quicunque ex re servienti omnem vel plurimam utilitatem percipit aut dominus rei sit, aut is, cui servitus constituta: is sumtus rei ordinarios, sive civiles sint, sive naturales sustinere debet §. 34). Hinc, cum in servitute personali, & quidem usufructu, usufructarius omnem aut certe plurimam ex re usufructuaria percipiat utilitatem §. 134): per se quisque facile concedet, quod usufructarius teneatur sumtus ordinarios sive sint naturales, sive civiles sustinere, & ex consequenti ferre onera & tributa rei usufructuariæ L.7. §.2. ff. de Usufr. Notandum, quod hæc conclusio ex principiis juris Naturæ fluat, adeoque hic ius civile cum jure naturæ conspirat.

## §. CXLV.

Neque dominus rei, neque is, cui servitus est constituta, actum in alterius præjudicium tendentem, absque consensu alterius suscipere potest §. 33). Quare neque usufructarius actum quendam suscipere potest in præjudicium domini rei tendentem absque consensu domini §. 114). Ponamus itaque usufructuarium rem meliorem reddere velle ratione persona sua individua, tum tamen ista melioratio fieri posset in præjudicium domini, quippe cuius determinatio domino rei esse possit molesta. Apparet itaque, quod usufructarius ne meliorem quidem reddere possit rem usufructuariam absque consensu domini L.13. §.pen.L.44. ff. de Usufr.

## §. CXLVI.

Usufructarius re usufructuaria uti debet salva rei substantia §. 120). ponamus itaque rem sua culpa dete-

deteriorari, tummodo re non salva substantia usus fuisse  
sua culpa; sed debet re salva substantia uti §. cit. ad  
eoque efficere, ut deterioratio cessat: *Usufructuarius  
proinde rem usufructuariam sua culpa deterioratam  
reficere debet L. 7. §. 2. & 3. ff. de Usufr.*

## CXLVII.

Ubicunque dissidentiam concipiimus, ne damnum  
ex negotio, quod nobis cum altero intercedit, sentia-  
mus; ibi locum invenit cautio, id, quod ex notione  
cautionis assumo. Nunc autem dissidentiam conci-  
pit dominus, ne usufructuarius verus re salva sub-  
stantia utatur, & ne quasi usufructuarius rem in  
eadem specie & quantitate ipsi post mortem relin-  
quat, quam propositionem, tanquam in demonstra-  
bilem hic concipio; exinde igitur concludere licet,  
quod dominus cautionem ab usufructuario vero exti-  
gere possit, quod velit re salva substantia uti, & à  
quasi usufructuario, quod velit domino rem post mor-  
tem, in eadem specie & quantitate relinquere L. 1. ff.  
Usufr. quemad. cav.

## §. CXLVIII.

Definit servitus totius rei interitu §. 35). Hinc  
quoque servitutes personales, ususfructus, usus &  
habitatio desinunt totius rei interitu §. 3, 113, 115).  
§. 3. I. de Usufr. L. 30. L. 31. Quib. mod. usufr. amitt.

## §. CXLIX.

Habitatio tollitur ipsis rei interitu §. 148). Hinc  
domo collapsa, in area non remanet servitus §. 5. L.  
10. §. 1. ff. Quib. mod. Usufr. amitt. Quid, quod, si  
pars aedificii interit, etiam quoad partem tollitur  
servitus, & cum reliqua pars non perierit, per  
hypothesin, remanet in ista servitus, L. 8. & seq. loc. cit.

## §. CL.

Consolidatione omnes servitutes tolluntur §. 38). Consolidatione itaque servitutes *personales*, & ex consequenti *usufructus*, *usus* & *habitatio* tolluntur §. 3, 113, 115). Quid, quod cum plurimis modis fiat consolidatio §. 36, 37). apparet, quod *omnibus modis*, *quisbus consolidatio servitutis & dominii oritur*, tollantur servitutes *personales* §. 3. I. de Usufr.

## §. CLI.

Quocunque modo consolidatio servitutis & dominii fieri solet, eodem quoque modo servitutes *personales* tolluntur §. 150). Nunc autem consolidatio servitutis & dominii fit pacto domini rei servientis cum eo, cui servitus est constituta, de servitute in ipsum transferenda, & vice versa §. 36, 38). Hinc adeo apparet, quod servitutes *personales*, *usufructus igitur usus & habitatio* tollantur *pacto domini rei servientis* cum *usufructuari* vel *usuari* de *usufructu* vel *usu domino cedendo* §. 3, 113.) §. 3. I. de Usufr. & *pacto usufructuarii* vel *usuarii cum domino*, de *dominio ipsi cedendo* §. cit.) §. 3. I. de usufr. L. 15. pr. ff. si *usufruct.* pet.

## §. CLII.

Consolidatio servitutis & dominii præscriptione longi temporis fieri potest à domino rei, si is, cui servitus est constituta, re serviente non utatur, vel ab isto, cui servitus est constituta, præscribendo dominium rei §. 36, 37, 38). Sed quocunque modo fieri potest consolidatio servitutis & dominii eodem modo tolluntur servitutes *personales*; *usufructus itaque usus & habitatio* §. 150). Hinc adeo constat, quod *præscriptione longi temporis à domino facta tollantur servitutes per-*

personales, ususfructus, usus & habitatio, si is, cui quædam ex his servitutibus est constituta, eadem non utatur: Ususfructus igitur tollitur præscriptio ne domini, si usufructuarius re usufructuaria non utatur per tempus lege definitum & absque protestatione, L. pen. §. 1. C. de Usufr. & L. 13. C. de Servit. Porro quoque, si is, cui servitus personalis, adeoque ususfructus & usus debetur, dominium rei longo tempore præscribat.

### §. CLIII.

Consolidatio servitutis & dominii denique fieri potest jure hereditario universali legato & fideicommisso acquirendo dominium rei servientis, §. 36, 37, 38). Nunc autem eodem modo tolluntur servitutes personales, quo consolidatio servitutis & dominii fit, §. 150). Hinc servitutes personales, ususfructus usus & habitatio tolluntur jure hereditario universali, legato & fideicommisso acquirendo rei servientis dominium. Alter enim modus hic non obtinet, ut ex §. 131. apparet.

### §. CLIV.

Lucrum, quod ex actionibus servorum aut ancillarum apud Romanos obveniebat, erat res domino servi aut ancillæ propria §.\*), & considerari poterat tanquam res non fungibilis §.\*). Hinc quoq; dominus titulis habili bus servitutem personalem adeoq; usum & usumfructū tertio constituere poterat in servi aut ancillæ actiones §. 10. & 3. 113). quod quidem in prioribus tanquam sat is cognitum assumerimus, exindeque leges huc pertin entes, tanquam conclusiones, deduximus. Verum cum domini isti simul curarent, ut servi vel ancillæ certarum actionum genus, quod operas certas involvit,

56 CAPUT III. *De Servitutibus personalibus.*

volvit, exerceant §. \*); hinc satis constat, quod & dominus titulis habilibus servitutem personalem & ex consequenti usum & usumfructum in has tantum operas tertio constituere potuisse, præscindendo ab eo lucro, quod ex reliquis actionibus servi vel ancillæ obvenit, quod ad dominum pertinet; Attamen notandum, quod Romani tantum usumfructum in operas servi vel ancillæ constituere sueverint L. 5. ff. de op. serv. Quam servitutem personalem, ut à ceteris, ubi in actiones servorum vel ancillarum indeterminatas istiusmodi generis servitus constituitur, distinguerent, servitutem operarum vocarunt. L. 1. & seq. ff. de op. serv.

§. CLV.

Servitus operarum est ususfructus in operas servi vel ancillæ alienæ tertio competens §. 154). Omne itaque id, quod de usufructu §. 113. & seq.) dictum, hic ad servitutem operarum facile applicare poterimus, nisi plura de hac re persequi institutum nostrum prohiberet & non usus hujus servitutis in germania perpetuus.

F I N I S.

*Corrigenda.*

Ponas §. 22, lin. pr. acquiruntur; & lin. tert. servitutes.



MC





Ke 2759

ULB Halle  
007 412 274

3






Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt

urn:nbn:de:gbv:3:1-826301-p0066-2

DFG

B.I.G.



9523  
17  
No: 502.  
SPECIMEN JURIDICUM  
DE  
**SERVITUTIBUS**  
EARUMQUE SPECIEBUS,  
AD  
**DUCTUM INSTITUTIONUM**  
**JUSTINEANEARUM,**  
METHODO SYSTEMATICA CONSCRIPTUM

*Open to the public*  
Ke 2759  
J. J. Schierhardt

1731.

